

J. KIRCHMANNI

commentarij

224

Fun*er*ibus

Romanorum

Lib. ^{4th et}

A*pro*pendix

O*ratio*n*is*

Su*n*ere
Pauli M*en*ia

Nic: F ^{cl^{as}s}

I ^{cl^{as}s}


P ^{cl^{as}s}

Appm*o* ⁴⁶

Dackius


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 46 [1]

1672





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 46 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 46 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 46 [1]

JOHANNIS KIRCHMANNI
IN FUNERE
V. CL.

PAVLI G. F. P. N.
MERVLÆ.

Historiarum Professoris
In Academia Batavorum,
& Fœderatarum Provincia-
rum Historiographi,

O R A T I O,

*In qua de vita scriptisque
ejus differitur.*



L V G D. B A T A V.
Ex Officina HACKIANA, 1672.

S
10
0
Dom
Ha
D
do
kren
tui
rem
su
m
eus
inf
cl
qui

Nobilissimo & Amplissimo Viro,
JOHANNI AB
OLDENBARNEVELT,
Domino de Tempel, &c.
Hollandiæ , Westfrisiæque
Advocato, & magni
Sigilli Custodi.

VErebar initio , Ampliss. & Nobilissime Vir , ne in impudenteria me crimen induerem , si Te publice compellarem & Funebrem hanc Orationem sub clarissimi nominis tui auspiciis in lucem emitterem . Sed tamen ut id auderem , aurem mihi vellebat cum summa dignitas , in quam Te Fortuna , imo ne quid mentiar , Virtus ipsa collocavit : tum vero insigne studium tuum , & præclaras voluntas erga omnes eos ; qui humaniores literas tractant ,

A 2 quam

quam non semel optimus &
eruditissimus PAULUS MERU-
LA, cum viveret, nobis prædi-
cabat. Et sane dum omnia me-
cum accurate expendo, quando
hic mos hodie receptus est, ut
scriptis nostris illustrium viro-
rum nomina præfigamus, quem
potius quam Te eligere debui-
sem, reperio neminem. Te
enim P. MERULA pectori sao
inclusum religioso semper cul-
tu observabat, Te suspiciebat,
Te in oculis ferebat, Tuum
nomen crebris sermonibus u-
surpabat, & quod caput est,
cum jamjam animam efflaturus
esset, Tibi uxorem & liberos
superstites per literas commen-
dabat: quos cum nullum du-
biu[m] sit, quin, quæ tua est hu-
manitas, libenter in tuum pa-
trocinium receperis, ego quo-
que certam spem concepi, non
omnino Tibi ingratum fore, si
hæc

næc etiam Oratio in funere ejus
in me habita amplissimo tuo no-
mini consecretur. Quæ spes ne
me fallat etiam atque etiam ro-
go, ac Te salvere jubeo præci-
puum Belgicæ decus. Datae
Rostochii XIII. Kal. Octob.
Anno clo I o cvii.

*Amplissimi Nominis
tui cultor*

JOH. KIRCHMANNUS
Poëeos & humaniorum li-
terarum Professor in Aca-
demia Rostochiensi.

A 3

ARBOR GENTILITIA
MERULARUM.

BALDEVINUS MERULA.

GULIELMUS Merula.

BARTHOLOMÆUS Merula.

GULIELMUS Merula,
obiit an. 1516. Mart. ult.

'ANGELVS P A V L V S HVBERTVS
Merula : qui Merula : vir Merula. obiit
ob Religionis non indoctus, Silvæducis,
Reformatæ ut tunc tem- ubi litteris o-
confessionem pora ferebant, peram dabat,
martyrio affe- variis in Lin- 1529.
ctus est. Obiit quis verfa-
an. 1557. tus : Adole-
Iulii 26. scens enim
multas peragrarat Provin-
cias, plurima viderat Re-
gna, clarissimas noverat fir-
mando formandoque judicio,
& juvandæ quandoque Pa-
triæ (quod etiam in Parti-
bus sibi creditis diligenter
præstítit) Respublicas. Obiit

en. 1540. Ianuar. 9. etatis
suæ 36. Vxor illi —— Agatha Mar-
tini F. Matrona
GVLIELMVS Merula, honesti apud
natus Brielæ anno 1529. Brilenses loci.
Novemb. 9. Gradum Parisiis
consequutus, in Patriam re-
versus Quæsturam admini-
stravit Agri Puttani; moxque Præfetus Arci
Heenvlietianæ, occupata ab Geusis Briela,
magnum, quod ab Incendiarius imminebat,
periculum evasit. Quum inde multos annos
Civitati Dordracenæ fuisse ab Secretis,
vita defunctus est an. 1599. Maii 5. etatis
70. Vxor illi Iacoba Gusberti F. Heermans,
Parisiæ apud Dordracenos familiæ, quæ
obiit anno 1588. Novemb. 16.

P AVLVS MERVL A, IC. Academiæ
Leydensis Professor, & Fæderatarum Bel-
gicæ provinciarum Historiographus, natus
Dordraci anno 1558. die 19. Augus. tii.
Moritur Rostochii anno 1607. die 20. Iulij.

MEMORIÆ SACRVM
PAVLOG. F.P.N. MERULÆ
DORDRACENO BATAVO

REI ANTIQVARIÆ IN ACAD. LVG-
DVN. DICTATORI, ET FOEDE-
RAT. PROVINCIAR. HISTO-
RIOGRAPHO,

VIRO INCVLPATÆ VITÆ, ET VA-
RIÆ ERVDITIONIS, BONO REI-
PVB. LITERARIÆ NATO, IN
MVSARVM SINU ENVTRI-
TO HARVNDEM MALO
PVBLICO ET IRRECI-
PERABILI DAMNO
DENATO

IOHANNES KIRCH-
MANNVS LVBEC.
AMORIS ET AMICITIÆ CAVSA
HVNC TITVLVM, HOC MONV-
MEN. CHARTEVM.

QVIA MARMOREVM NON PO-
TERAM LVCTV DESIDE-
RIOQVE PLENVS POSVI,

VIXIT ANNOS XLIIX. MENS. XI.
DIES XII. OBIIT XIII. KAL.
SEXTII. ANNO CLO LCVII.

I
JOH. KIRCHMANNI
ORATIO
IN
FUNERE
PAULI MERULÆ JC.

Professoris Lugdunensis.

ANNO CICLO VII.

Vtinam, Magnifici, Re-
verendi, amplissimi,
clarissimi, doctissimi,
nobilissimi & ornatissi-
mi Auditores, utinam P. Merula ho-
mini, dum vixit, probo & à quo
veræ eruditionis ac doctrinæ elogium
Veritas ipsa non spreverit, acerbum
hoc ac triste officium persolvere non
sit necesse! Utinam diutius ipsi jucun-
dissima hac luce frui licuisset, neque
mors plenis jam velis in gloriæ cam-

A 5 pum

2 I. KIRCHM. ORAT.

pum in vecto nimis immature manum
injecisset! Erat sane hoc omnibus
votis optandum, si non ipsius, qui
præclare & laudabiliter vitæ suæ
curriculum confecit: at uxoris gra-
tia, quæ carissimum maritum amisit;
at liberorum, qui optimo patre orbati
sunt; at Musarum, quæ irreparabi-
lem in ejus occasu jacturam fecerunt.
Sed quoniam Deo ita visum, ut pro-
cul patria, in peregrino solo vitæ
personam deponeret, non lessum mor-
tuo faciemus, aut lachrimis nihil
profuturis habenas laxabimus: sed
potius memoriam optimi viri & de
literis præclare meriti sancte conser-
vabimus, nec quicquam prætermitte-
mus, quod videbitur ad mortem ejus
celebrandam pertinere. Etsi autem
me quidem ab hoc officio deterrere
poterat, & summa viri virtus & in-
genii mei tenuitas: præsertim cum
sciam non defuturos alibi quoque &
præsertim in celebri illa Batavorum

Aet-

Academia viros eruditos & eloquentia præstantes, qui collegæ & amici sui laudes vel prosa oratione, vel versibus, quorum architecti sunt, commendabunt. Tamen ne cuiquam illorum aut amore, quo vivum prosequutus sum, aut dolore, quem ex morte ipsius cepi, ullo pacto concessisse videar, faciam quod potero, & postremum hoc munus & publico & meo nomine P. Merula præstabo, non ingenio aut facultate dicendi, sed vestra bencvolentia & aquitate fretus. In certam enim spem, imo fiduciam ingressus sum, fore, ut qua erga alios ex hoc loco dicentes benignitate usi estis, eandem mihi quoque non suis denegaturi. Quod si, ut spero & opto, à vobis impetravero, certe nec me in dicendo laborasse, nec vos tanti viri memoriam grata recordatione revocasse unquam patinet.

Unde autem dicendi initium fa-

A 6 ciam?

4 IOH. KIRCHM. ORAT.

ciam? an à patria, genere, educatione? Solent quidem hinc narrationem arcessere, qui alios laudandos suscipiunt; neque id sine ratione. Ut enim plantæ cum bono è genere lectæ, feraci solo depositæ, & diligentibus cultura adjutæ sunt, tum demum uberes fructus ferunt: sic quoque in hominibus genus, patria, educatione magnum momentum habet. Ego vero hæc omnia prætermittam, non quidem quod is ignobili patria ortus, obscurò loco natus, male educatus sit, non: Sed quod ad majora festinet mea oratio, & his si immorari diu velim, vereor ut concubium noctis sit, priusquam hanc narrationem ad finem perducam. Quid enim? Bataviam laudem, illud Martis & Musarum domicilium? in cuius antiquissimo munitissimoque, & quod principatum quendam inter reliquas omnes Hollandiæ urbes tenet, oppido, Dordracum quod appellatur,

ju-

IN FUN. P. MERULÆ. 5

ucundum hoc Solis lumen aspicere
& aërem haurire P. Merula primum
œpit. At ea, si brevitati studuero,
nulis & præclaris laudibus à me
rivarbitur: si omnia persequi volue-
ro, longior mihi oratio expromenda
esset, quam vestræ aures tolerare
possint. De Merularum genere di-
cam? Unus Angelus fortissimus ille
& invictus veritatis testis, Pauli no-
stri Magnus Patrius, qui annis ab-
hinc quadraginta & quod excurrit ab
Inquisitoribus ob constantissimam Re-
ligionis confessionem indigno suppicio
affectus fuit, vel unus hic Angelus to-
tum diem exposceret. Possem quoque
de Gulielmo Pauli ipsius pare do-
ctissimo & defacati semper animi
viro, qui multos annos Civitati Dor-
dracenæ à Secretis fuit, & filii inge-
nium optimarum artium cultu accu-
rate nutriendum curavit: possem,
unde maternum genus ducebat, de
retustissimis Heermannorum & Om-
lin-

6 I. KIRCHM. ORAT.

lingorum familiis, quæ primis semper honoribus apud Dordracenos functæ sunt, & etiam nunc funguntur, longam orationem texere. Sed nolo ex hoc rivulo in id flumen laudem derivare. Neque enim nititur avorum meritis P. Merula, qui ab inceunte statim ætate vitam ita instituit, ut suarum splendore virtutum lucem asserre potuisse majoribus etiam obscurissimis. Quid vero opus, ut pueritiam ejus, partim in patria, partim Delphis sub præceptorum disciplina actam hic commemorem? Cum agrum fertilem & fæcundum videmus, etiamsi quomodo occatus & stercoratus sit ignoramus, neque agricultæ sementem jacientis laborem conspicimus, ex ipsis tamen frugibus bene cultum & studiosè subactum judicamus. Sic quoque cum uberrimus virtutum proventus in P. Merulae animo extiterit, quid aliter existimare debemus, quam ipsum diligentissime fuisse

uiusse exultum? An igitur de corporis orisque dignitate dicamus? nam hinc quoque laudem mutuari hominibus solemus, quod formæ decorum naturalis quedam ingenii bonitas plerumque comitetur. At licet pulcherrima P. Merulae anima dignam se sedem, dignum diversorum, in quo habitaret, fuerit adepta: non est tamen ut in prædicanda tam fragilis & quod ætas facile aut morbus corrupit, boni præstantia diu immoremur: ne cum animi bona suppetant, laudem captare videamur ex corpore.

His igitur omnibus omissis, quæ minora sunt, quam ut in laudatione P. Merulae poni debeant, ad ea, quæ potissimum mihi dicenda proposui, jam accedamus. Hic vero nobis primo occurrit ingens illud & indefessum studium, quod ipse à teneris statim unguiculis ad extremum usque halatum in literis collocavit. Nam etsi quidem à Natura felix ipsi & ad omnes

8 IOH. KIRCHM. ORAT.

omnes honestas disciplinas docile ingenium erat attributum: tanta tamen utebatur semper animi contentione & diligentia, quanta utendum est homini, qui studet id, quod ingenio deest, industria compensare. Quotidie ille in libris, in chartis versabatur, & laborum Musicorum adeo non solum tolerans, sed & appetens erat, ut perire sibi omne tempus arbitraretur, quod studiis non impertiret. Et quoties aut iter faceret, aut animi causa deambularet, semper illi praesto erat liber aliquis quem voluntaret, cuius lectione animum pasceret: quem vero librum semel in manus sumserat, eum non prius deponebat, quam a capite ad calcem usque percurrisset, annotassetque ea, quae sibi aliquando usui fore existimaret. Nihil enim legebat, quod non exasperaret & in Adversaria sua ac Memoriales libellos referret.

Talem

Talem assiduitatem & tam inde-
sum laborem si alii quoque pracla-
s ingenis præditi ad discendas li-
eras afferrent, nullum dubium est,
uin nostro etiam seculo plures ex-
rituri sint, qui veræ ac solidae eru-
ditionis copia & varietate cum ipsa
ntiquitate comparari merito possint.
ngenia certe nihilo hodie, quam an-
tiquitus, deteriora sunt. Non enim
quasi lassa & effeta natura est, ut
nihil jam laudabile pariatur. Imo
vero negare non possumus, extitisse
nostra & avorum memoria multos,
qui aut inventionum subtilitate aut
exercituum ducendorum scientia, aut
navium in magno mari gubernanda-
rum peritia, aut aliarum rerum co-
gnitione nulli veterum cesserunt, ple-
rosque etiam longo post se intervallo
reliquerunt. Quod vero oppido pauci
ad eruditionis illius, quam in prisca
admiramur, fastigium pervenerunt,
quid mirum, cum non eadem repe-
ria.

10 I. KIRCHM. ORAT.

riatur in nostris hominibus, quæ in
veteribus erat, diligentia, non ea-
dem vigilantia, non idem labor.
Relanguit jam pridem priscum illud
in addiscendis literis studium, restin-
ctus est vetus ille erga artes honestas
ardor; torpor & veternus animos no-
stros occupavit; neque ulla in nobis
scintilla apparet illorum igniculorum,
quibus olim juvenes ad hoc Doctrinæ
studium alacriter decurrentum ac-
cendeantur. Prisci illi discendi cu-
piditate flagrantes omnes corporear-
um voluptatum illecebras contemne-
bant, nullam omnino curam gere-
bant rei familiaris, socordia & igna-
via valere iussis noctes atque dies in
solo literarum studio versabantur,
nec ullum laborem, aut molestiam
doctrinæ comparande gratia refugie-
bant. Nos inertiae dulcedine inescati,
aut voluptatum blanditiis capti, per-
functorie tantum literas tractamus
& omnia nostra studia vel ad pri-
mos

os in Repub. honores obtainendos,
el ad opes corradendas referimus.
Itque ideo mirandum non est, pau-
os hodie ad veterum illam admirabil-
iēm in omni genere doctrinam elo-
uentiamque accedere: & quod sine
ujusquam injuria dictum volo, illos
propemodum jam ordines in literis
ducere, & quasi signiferos esse, qui-
bus olim vix inter gregarios milites
locus esse potuisset.

Hanc seculi labem indigne ferens
P. Merula, ut primum literarum di-
gnitatem intelligere cœpit, tam acri-
erga illas amore exarsit, ut nulla dif-
ficultas, nulla laboris asperitas, eum
ab instituto cursu revocaret, non ambi-
tio ad honores, non libido ad volupta-
tem, non avaritia ad opes, non otium
ad animi remissionem, non denique
sonnus ad quietem. Hac vero assi-
duitate, his vigiliis, hoc labore id
assecutus est, ut in literatorum lu-
stro inter eos, quibus Respub. hæc lite-
raria

12 IOH. KIRCHM. ORAT.

raria hactenus sulta stetit, & ip
merito censeretur.

Cum enim duo sint, quæ viri
eruditum persciunt, accurata Reru
cognitio, & politi Sermonis copia
in utroque P. Merula ita excelluit
ut mihi fere ultra vulgarem human
mentis captum emersisse videatur
Erat quidem ipsi, postquam ad seve
riora studia animum applicavit, in
primis cordi & curæ Jurisprudentia,
cum quia sciebat huic architectonica
reliquas artes omnes ancillari: tum
etiam quia videbat patrem avumque
hac scientia fuisse excultos. Fit enim
hoc plerumque ut ex quo disciplinæ
genere quis majores suos laudem qua
sivisse intelligit, ad hoc ipse quoque
libenter se conferre soleat. In hoc
igitur studium ita continenter & af
fidue incumbebat, ut protinus apud
omnes summam sui admirationem,
parem expectationem excitaret,
quam tamen in eo fefellerit, quod, ubi
ad

maturiorem etatem pervenit, ex-
citatione ipsa major evaserit. Et
amvis civilem scientiam magis o-
nibus aliis artibus coleret: non ta-
en prius ad verenda hujus Deæ sa-
x accessit, quam instructus esset iis
lminiculis, quæ in homine ad legi-
nam Jurisprudentiam aspirante re-
uiruntur: Sed neque ita totum se
iquam Themidi devovit, aut sic
b ejus signis stipendia meruit, ut
imaniiores disciplinas statim desere-
t, imo vero latissimos illarum cam-
is ingressus tam variam & multi-
icem rerum divinarum humana-
unque scientiam sibi comparavit, ut
ulla fere Philosophiae pars sit, quam
le non degustarit; nullum scientiæ
enus, quod ille non indefessa ala-
ritate amplexus sit; nulla veterum
ionumenta, quibus nocturna diurna-
ue manu pervolvendis ille studium
uum non impenderit, nulli in peni-
issimis venerande Antiquitatis pene-

tra-

tralibus tam reconditi , tamque latentes ritus , quorum lustra & cubilia ille non deprehenderet ; nulla aut vetus aut recens historia , quam ille non ad unguem teneret. Breviter , quo Nicephorus Gregoras de Theodor Metochita usurpat elogium , id non immerito in P. Merulam accommodar possumus : Βιβλιοθήκη των ἐμψυχών γραμμάτων της ζωτικότερης περιόδου Ερατίστης ήταν η βιβλιοθήκη της Μερούλας . Erat viva bibliotheca , & eorum , qui scire velles , oraculum.

Nec vero Rebus tantum intentus Orationis politæ studium neglexit ; iu quod multi hodie faciunt , qui omni humanitatis expertes elegantie studiosos tanquam inanum verborum se etatores irrident , sed quia videbat etiam priscos Sapientiae proceres rerum investigationi incredibilem exornandi sermonis curam adjunxisse , ipse quoque eandem viam , præser-tim tot doctissimorum nostri avi hominum vestigiis signatam & impres-sam ,

im, omni conatu & honesta ingenii intentione securus fuit. Cum enim vollet ita vitam transfigere, ut, veluti naves, nullum sui vestigium relinueret: sed propositum ipsi esset, Remub. literariam, qua parte mancavat, pro sua virili juvare, labantem confirmare & erigere, faciendum pugavit, ut accuratam Latine dicendi scribendique facultatem sibi acquireret, ne si animi sensa inquinate & rustice efferret, in numero eorum hominum habereatur, quos M. Tullius ait intemperanter abuti & otio & literis. Quid? quod Hebraici quoque sermonis fontes haud tralatitie delibavit: In Græcæ vero literaturæ adyta tam longe se penetravit, ut plerosque omnes primæ classis auctores in succum & sanguinem suum converteret, & fere omnia illorum præcepta in numerato haberet. Ex Poëtica arte quantum laudis consequi potuerit, si saepius in hac scena sivarum expandere

16 IOH. KIRCHM. ORAT.

dere & ingenium suum in hoc præclaro curriculo experiri voluisset, testantur ejus versiculi pauci quidem illi, sed quā spirant veterem illam simplicitatem & quasi scintillas emitunt purioris illius seculi.

Erunt fortasse, qui hæc levia & nullius momenti esse judicabunt, nec digna à quibus P. Merulæ laudem aucupari debeamus. Ego vero, Auditores, omnino ita sentio, & forte mecum alii, inter reliquas ejus laudes non postremam hanc esse, quod variarum Rerum scientiam cum Orationis elegantia, utramque autem cum Jurisprudentia copulavit. Neque hanc meam sententiam, opinor, improbabitis, si me ejus rationes vobis paulo altius exponentem benevole, quod facitis, & attente audietis.

Philosophie cognitionem, non horridæ illius & nimis subtilium quaestiuncularum sentibus veribusque obfitæ, quam hodie videmus passim in scho-

seholas irreperere: sed ejus, quæ olim
vigebat, quamque superioribus annis
viri eruditissimi è situ & squallore
priorum seculorum liberarunt; hujus
igitur legitimæ Philosophiæ cognitio-
nem Antiquitatisque peritiam, cul-
tum item istarum linguarum, quibus
hi nobilissimarum rerum thesauri
tanquam arculis quibusdam asservan-
tur, vel, ut verbo dicam, bonas lite-
ras maximum habere ad graviores
disciplinas adjumentum, fatentur o-
mnes qui quidem rationis alicujus
primordiis imbuti sunt: at vero, qui
his studiis non dico immorari, sed
plusculum saltem temporis tribuere
velint, reperiuntur semper paucissimi.
Cujus rei causas dum mecum recogi-
to, cum aliæ multæ, tum vero hæ-
duæ potissimum mihi in mentem ve-
niunt, quæ familiam ducere viden-
tur, Magnitudo videlicet ac varietas
harum, quas dixi, literarum, &
fatum de iis seculi nostri Judicium.

B

Et-

18 IOH. KIRCHM. ORAT.

Etenim affirmare non dubito , quod etiam nemo prudens inficias iverit, qui in hoc studiorum genere ad aliquam laudem aspiret , ei tam latum & amplum campum esse propositum, ut posse eum confidere vix aliquis mortalium videatur , qui totum Memoriæ dolium exhauserit , & his litteris in perpetuum se manciparit , nedum is , qui mediocri tantum ingenio sit præditus & adhuc superiorum scientiarum alicui incumbat. Excutiendæ enim sunt omnes veterum scriptorum bibliothecæ , perlustranda & pernoscenda est omnis antiquitas, replicanda omnium historiarum monumentorumque memoria , neque Latium modo perreptandum , sed & navigandum in Græciam & ad unum omnes utriusque linguae auctores summo studio ac diligentia pervolutandi, Oratorum scripta manibus atque oculis quotidie conterenda , Poëtæ etiam ad verbum , si fieri possit , ediscendi,

&

& denique nihil omnium prætermittendum, quæ vel ad animum proba & prisca doctrina multiplicique rerum olim gestarum scientia imbuendum, vel ad comparandam lautæ orationis & eleganioris styli supellectilem facere videantur. Quæ omnia vel etiam ex iis nonnulla tantum, quam improbum & arumnabilem laborem desiderent, conjectura facilius consequi est, quam verbis recensere. Ceterum cum jam nulli studio pepercenis, summa omnia feceris, & prope in eo sis, ut vasa colligas & serio tandem aliquando migres ad Justinianæ castra, vel ad medicinam te conferas, vel ad sacras literas: erunt tamen homines usque adeo præposteri judicii, qui omne id tempus, quod politiori huic literaturæ impenderis, collocatum dicant non solum in re levi & hausta de triviis circulisque doctrina: sed & unde nihil omnino utilitatis vel in vitam humanam, vel ad

B 2 ipsos

20 I. KIRCHM. ORAT.

ipsos harum cultores redundet. Ita enim vulgo persuasum est, illam superiorum scientiarum Trigam, quarum fructus omnium oculis expositi sunt, & pene manibus, quod dicitur, correctari possunt, solam vitæ mortaliū servire: eas autem, quæ vere ut sunt, ita appellantur Humanitatis artes, esse omnino inutiles & frugis expertes, cum quid in commune conferant, sit à vulgi intelligentia sensuque paulisper remotum. Atque ideo fit, ut hæ quidem contemptui passim habeantur & egeant: illæ vero opibus affluant & honore, solaque occupent præmia illa, quibus disciplinæ liberales nutririri & ad earum cultum optima quæque ingenia excitari incendiique soleant. Non igitur magnoper mirum, si spretis & insuperhabiti Humanitatis artibus non solum matræ etatis adolescentes, quos temporis jactura, quam sua an præceptorum culpa fecere, fortassis excusaverit:

sea

sed & investes adhuc, ut veteres lo-
quebantur, pueri, qui ex Gram-
maticæ salebris pedem vix moverint,
Latine autem nondum intelligant, ac
ne differendi quidem dicendique artes,
nisi ex compendiis & nescio quibus
cœnoscis lacunis hauserint, in Medi-
cos statim aut Jurisconsultos aut sa-
crarum literarum interpretes nomen
dare non vereantur, & remis velis-
que ἀεὶ πὰ ἄλφια properando, adi-
tumque sibi ad summas dignitates
muniendo cruda adhuc studia in Ec-
clesiam aut forum propellunt: non
sine gravi animi dolore eorum, qui-
bus melior Sol atram illam caliginem
ab animi oculis detersit. Hi enim fa-
cile vident, quomodo nondum pror-
sus eradicata, sed magnam tamen
partem superiori astate nec infelicit
convelli cœpta barbaries paulatim
iterum repullulet, hederarum vice
præfocatura teneras optimarum ar-
tium stirpes, nisi mature huic mala-

occurratur. Frustra enim aliud sperares, ubi qui ad amoeniores hasce Musas, illas barbariei expultrices, excitare studiosam juventutem debebant, & ex Ignorantiae antro quasi manu educere ad Bonae Mentis sacellum, ipsimet non solum horum studiorum plane rudes sunt, sed & discipulis suis illa de manibus omni conatu omnibusque machinis excutere, & teneris animis odium contemptumque harum artium infundere non dubitant, dum quæ vel somnolentia sua vel ingenii tarditate consequi non potuerunt, in aliis reprehendunt & vituperant, ne se ipsi videantur in scitiæ tacito quodam præjudicio condemnare. Quid est autem irrepentem clam Barbariem admittere, si hoc non est? admittere autem? imo vero ambabus ulnis amplexari & in eum, unde avorum patrumque nostrorum memoria fere dejecta erat, locum reponere? Certe fieri aliter

on potest, quin illa omnium artium
egina & viriutum parens Theologia
mnino jaceat, atque adeo reliquæ
severioris supercilii disciplinæ omnes
cessum eant, densissima tenebrarum
caligine involutæ, nisi hoc humanio-
rum Musarum aut sale condiantur,
aut lumine collustrentur. Cui rei
longe exempla petere quid opus? ne-
mo enim est, qui ignoret, quam atra
nox ante plusculos annos universum
prope terrarum orbem obtexerit, ex
quo perversa hæc & mirum quantum
perniciosa opinio animos juvenum
veluti pestilenti quodam sidere af-
flare cœperat, Græcas literas, ora-
tionis ornatæ cultum, antiquitatis
cognitionem res esse ludicras & nuga-
torias, nec pertinere ad eos, qui gra-
vioribus studiis essent addicti.

Sed querelam instituere de in-
gruente Barbarie, vel quomodo huic
monstro obviam eundum sit, in me-
diū consulere, non est mihi hoc loco

B 4 pro-

24 I. KIRCHM. ORAT.

propositum: causam tantum indicare
volui, cui plerique ab hoc studiorum
genere necessario quidem, sed ali-
quantisper difficili & variis calumniae
telis exposito refugere, ac confessim
ad illas artes, quae suis cultoribus è
vestigio dignitates & opulentiam lar-
giuntur, animum soleant applicare.
Neque vero recte id fiat, an secus, ut
vunc quidem sunt secula & mores,
pluribus dispiuto: hoc autem, si ta-
ceam, res ipsa loquatur, jam pri-
dem summam eamque multo majo-
rem, quam quae olim fuit, omnium
disciplinarum ignorationem conse-
quitam fuisse, absque paucis qui-
busdam divinitus ad hanc rem ex-
citatis hominibus esset, qui publico
bono nihil sibi prævertendum existi-
mantes, politiores hasce literas omni
studio & conatu propagatum eunt, &
quicquid harum candidatos remorari
aut tardare forte possit, è medio tol-
lere nituntur, spargendo interdum

ac

ie liberaliter distribuendo in literarium populum, velut tesseras, quæ ipsi er omne genus scriptorum vagantes curiose in unoquoque observarint.

Quorsum hæc tam longe repetita? dicat aliquis. Nimirum ut intelligatis, Auditores, me non sine justa causa inter laudes P. Merulæ retulisse, quod non illotis, quod ajunt, manibus Juris sacra contrectarit, neque rerum amplitudine fractus, non vulgi judicio territus, non lucri cupiditate incensus, non honorum sumis captus humaniores Musas deseruerit; sed partim scientiæ amore, partim boni publici studio impulsus constanssem semper eas dilexerit, atque adeo nec ipsi Jurisprudentiæ, quæ amplissimas dignitates & maximas opes pollicebatur, praponere dubitarit.

Sed de varia P. Merulæ doctrina nolo longiorem orationem comparare. quomodo autem eam ad usum translulerit, nec passus sit fructus ex literis

perceptos, pomorum instar, putragine consumi, jam breviter dicam, si prius de studiorum curriculo, quod apud exterorū confecit, pauca præmisero. Non enim erat P. Merula tam humili & plebeja anima præditus, ut perpetuo domi residere, idem semper solum premere, aut ab unius ore etatem pendere vellet; sed simul ac adolevisse sibi visus & eos in literis fecisse progressus, ut cum fructus & utilitate peregrinas regiones adire posset, statim ipsum cupiditas incessit primates illos in literis viros, quorum scripta admirabatur, coram alloqui & familiarius convenire: exterorum usu ingenia mirum in modum exacui, & illum optimum haberi militem, qui patria procul stipendia fecisset, quotidie audiebat. In Gallia tum temporis melior illa Jurisprudentia omnesque humaniores Musæ potissimum florevant. Semper enim ex quo litera renatae sunt, regnum hoc omnium

omnium totius Europæ florentissimum
etiam in mediis bellorum civilium
turbis abundavit copia doctissimorum
hominum, qui relictis & spretis Glos-
satorum oleticetis ac sterquiliniis stu-
diosam juventutem ad ipsius Juris-
prudentiae augusta templa duxerunt.
Horum ille doctrina & celebritate,
honesta quadam laudis contentione,
que stimulos optimis ingenii addere
solet, excitatus, parentum permissu
in Galliam abiit: ubi propter niveos
mores, egregiam doctrinam & assi-
duum laborem in hominem, qui tum
vivebant, doctissimorum amicitiam
& familiaritatem facile fuit admis-
sus. Longum foret hic recensere om-
nes illos doctos viros, quos P. Merula,
cum in Galliis operam literis daret,
vidit, salutavit, cognovit, quorum-
que divinas voces auribus suis hausit.
Satis mihi est è multis nominasse
Barnabam Brissonium, Simeonem
Bosium, Johannem Auralum, Q.

B 6 Septi-

23 I. KIRCHM. ORAT.

Septinium Florentem Christianum,
Petrum Pithœum, Johannem Bodinum,
Jac. Cujacium, Gul. Fornerium,
Johannem Robertum, Petrum
Danielem, Germanum Valentem,
Vellum Pimpontium, Johannem
Passeratium, F. Hotomannum, quos
ille omnes, at quos viros! propius vi-
dit, compellavit, audivit, plerisque
etiam familiariter usus est. Ex Gal-
lia in Italiam se contulit, sed quia
Batavus erat, & memoria Angeli
Merulae, quem ob Religionis confes-
sionem martyrio affectum diximus,
adhuc passim vigebat, non ausus fuit
dii ibi subsistere, multo minus illam
universam peragrare, metuens peri-
culi, quod sibi imminebat, si fortean
& quoquam proditus fuisset. Inde igi-
sur in Germaniam superiorem migra-
vit, ac magna ejus parte perlustrata
Argentorati aliquot menses commo-
gatus est, partim urbis amœnitate
aptus, partim doctorum hominum,

qui-

uibus eatum florebat, fama permo-
us. Nam quemadmodum apes non
ib uno flore, sed sparsim mella sua
sugunt & singunt: ita quoque pru-
dentiam & eruditionem hinc inde
colligendam esse arbitrabatur. Cum
vero patrios Lares cogitaret, in Gal-
liam rediit, ac Juris consulti titulo
publice donatus, in Angliam quoque
trajecit, illaque visa tandem pe-
regrinationibus suis finem imposuit,
& ab hoc desultorio vita genere sese
abdicavit.

Reversus in patriam, à qua fere
totos novem annos absuerat, consilio
patris in Curiam Provincialem se con-
fert, ut cum Theoria, cui hactenus
deditus fuerat, etiam Praxim con-
jungeret, & ex umbra in Solem,
quod dicitur, & pulverem prodiret.
Hoc forense stadium non infelicer
ingressus, cum negotiorum sibi com-
missorum momenta diligenter expen-
deret; secreta causarum sagaciter in-
dagæ-

30 IOH. KIRCHM. ORAT.

dagaret; laqueos, quibus simplices à callidis illaqueantur, solerter dissolvet; clientibus suis non effugia, non officias quereret, quibus veritatis lumen obscuraretur, sed illos potius à temerario litigio deterreret, facile sibi Famæ januam paulatim aperuit, & non civibus modo, sed & ipsis Ordinibus innotuit. Quadriennium fere in hac se palæstra exercuerat, cum ecce Justus Lipsius, anima illa Antiquitatis & Suadæ medulla, prætextu valetudinis per Acidulas Spadanas recuperandæ, Lugduno Batavorum dreditur, & Academiam, in qua totos decem & tres annos juventutem Musarum sacris operatam cum plausu docuerat, præter multorum expectationem relinquit. Diu fuit delibera-
tum, quis tanto viro qui universam Europam famæ suæ radiis illustrarat, idoneus successor daretur. Erant enim plures in Belgio tum temporis, ut etiam nunc, viri in omni genere eru-

eruditionis exercitati, quibus hæc non
incommode demandari provincia po-
tuisset. Eo tamen omnium Ordinum
suffragia & vota ibant, ut P. Merula
ad Professionem, Lipsii abitu quasi
viduam, promoveretur. Ab Acade-
mia igitur Curatoribus, inter quos
facile principem locum obtinebat ma-
gnus ille & fama supra æthera notus,
Janus Dousa P. o manœuvræ, honesto
salario accitus, lubens foro, ubi ma-
gnas opes acquirere ipsi in proclivi
erat, nuncium remittit, & in Musæo
hoc portu navem suam desigit; do-
cendo, scribendo juvenum mentibus
lumina prælaturus. Mos erat apud
antiquos ut qui aut gladiatoriæ,
aut militarem, aut aliam quandam
artem desinebant, ejus instrumenta
Diis, qui isti arti præsidere crede-
bantur, suspenderent atque consecra-
rent. Idem quoq; facilitavit P. Merula;
qui cum causidicinæ prorsus valedicere
constituisset, ut se in foro non frustra
ali-

aliquando versatum fuisse ostenderet,
Fraxin juris civilis artificiosa metho-
do, sed vernaculo tantum sermone à
se contextam in lucem emisit. Cum
enim intelligeret, varias illas Con-
stitutiones, quæ diversis temporibus à
maximis Principibus erant promul-
gatæ, partim ævi injuria, partim ho-
minum malitia obliterari & paula-
tim vim suam amittere, magno ju-
dicio illas in unum quasi fasciculum
collegit; ratus, se hac ratione non so-
lum casabundam Justitiam pro sua
virili fulturum, sed & perfecturum
esse, ut sui cives non amplius in fo-
rensi palestra, tanquam hospites in
urbe peregrinantes errantesque vag-
rentur. Neque hæc opinio ipsum fe-
sellit. Tanto enim applausu, tantaque
aviditate hic liber ab omnibus fuit ex-
ceptus, ut fere nullus in iis locis Iudex
sit, nullus Prætor, qui non ea tanquam
canone aut norma aliqua in contro-
versiis dirigendis utatur.

Post-

Postquam autem docendi munus
iussicatus est, & sipienti juventuti
istoriarum fontes recludere cœpit,
nihil antiquius habuit, quam ut Spar-
tam, quæ obtigisset, omnibus modis
etiam scribendo illustraret. Non
enim arbitrabatur se muneri suo satis-
facere, aut expectationi de se conce-
ptæ respondere, nisi & in longinquas
regiones doctrinæ suæ torrentes ex
uberrimis ingenii fontibus derivasset.
Hoc ipsum igitur statim præstare ex-
orsus est editione Annalium Enni,
veteris Poëtæ, cuius à Grammaticis
velut Penthei olim à Bacchis in mille
partes discepti membra fœdissime
mutilata & divulsa plane Herculeo
labore collecta composuit,
composita eruditissimo commentario
illustravit, atque ita ipsum Ennium
patrem culioris & eleganterioris apud
Latinos Musæ, ab Orco revocatum,
quodammodo mortis postliminio rur-
sus animavit. Magnum hoc opere
famam

famam industriae & judicij apud omnes politiorum literarum mystas P. Merula sibi conciliavit: cuius pomæria cum aliis quoque ingenii monumentis extendere & amplificare vellet, & jam magna animo moliretur, Illustriſſimi Fœderatarum Provinciarum Ordines Historiam bellorum, quibus jam multos annos Belgica miserum in modum flagravit, Latino sermone describendam ipsi committunt.

Inſigne hoc vestrū, Ordines Illuſtriſſimi, (liceat enim mihi pace vestrā in hac doctiſſimorum virorum & leclitiſſimorum juvenum Merulae vestro justa persolventium corona, vos quamvis magno locorum intervallo à nobis disjunctos paulisper compellare,) Inſigne, inquam, non erga præſentes modo, sed & post futuros meritum ac immortali laude dignum: quo si veteres illi Germani ac Belgæ ſuam quoque posteritatem obſtringere

ſibi

sibi ac devincire voluissent, non certe
tot præclara ipsorum suinora altissi-
mo silentio sepulta & aeternis igno-
rantiæ tenebris obruta nunc jacerent.
Illud enim omnino in confessio est, ma-
jorum nostrorum ævo multos præstan-
tes viros exitisse, qui rebus domi &
foris, in pace & bello fortiter ac stren-
ue obeundis ipsius veri statis gloriam
si non superarunt, certe & quarunt.
Sed quia studium illarum Literarum,
quibus virtutis memoria conservatur,
ab ipsis manu quam calamo promptio-
ribus omnino negligebatur, factum
est, ut domesticorum quidem scri-
ptorum vel inscitia vel silentio; ex-
teriorum autem invidentia & mali-
gnitate verae fructu gloria fraudaren-
tur, qui res quamvis præclarissimas
amplissimasque administrassent. Quod
ne jam vobis, Ordines Illustriſſimi,
qui Reipub. vestrae Libertatem adver-
sus Hispanicam gentem tanta armo-
rum virtute afferitis & tam fortiter
pro-

propugnatis, ut ipse etiam hostis ve-
ster potentissimus diuturni belli per-
taesus pacem vobiscum pangere malit,
quam ancipitem Martis aleam diu-
tius experiri: ne hoc igitur quod mi-
nus dudum dixi, vobis quoque ullo
tempore accideret, mature providi-
stis, dum scilicet P. Merulam Histo-
ricæ huic Provinciæ delegastis, ipsi-
que in mandatis dedistis, ut res in
Belgio jam ab aliquot annis gestas
ad veritatis obrussam diligenter exi-
geret, & tandem ad posteritatem
transmitteret. Quo instituto equidem
nescio an quicquam utilius Reip. ad
cujus clavum sedetis: certe nihil vo-
bis gloriosius, nihil P. Merula honori-
ficiens excogitari potuit. Vobis qui-
dem, quod conscientia recte factorum
frei hoc agitis, ut etiam ipsa Poste-
ritas intelligat, unde hi bellorum
plusquam civilium fluctus, quibus
Belgica jam multos annos affligitur
concurriturque, exorti sint, & quid
vos

vos ad excutiendum à vestris cervici-
bus Hispānicæ servitutis jugum im-
pulerit, vere cognoscat & judicium
ferat. P. Merula vero, quod ab acer-
rimis ingeniorum censoribus huic mu-
neri, quo nullum in tota Rep. litera-
ria augustius, nullum ad famam
provocandam aptius, sed nec ullum
difficilius & pericolosæ aleæ plenius
esse potest, idoneus fuit judicatus.

At quo delabor? Vatabant Py-
thagorici Deos in transcursu salutari:
quam legem cum mihi quoque in
cultu magnorum virorum scriptam
putem, malo divinam Ordinum pru-
dentiam tacitus admirari, quam &
infantiam meam prodere & laudes
ipsorum ingenii culpa deterere. Ad
P. Merulam redeo; qui cum rem sibi
commissam infinitis difficultatibus ob-
structam esse animadverteret, len-
tius cœpit in iis, quæ jam pre mani-
bus habebat, progredi, magna dili-
gentia magnisque sumptibus undique
locorum

locorum & gentium conquirens & in
unum coacervans ea, quæ ad histo-
riam scribendam erant necessaria.
Mirum dictu est & forte fidem exce-
dit, quod narrabo. sed quia me hi-
storice loqui, nihil fingere norunt alii
quoque, quos si opus sit, testes laudare
possim, nolo id, quod res est, silentio
præterire: Audivi enim cum diceret,
non quidem ostentationis gratia, à
qua longissime aberat, sed à nobis,
quibus familiariter hic utebatur, forte
super hac re interrogatus, se de Bel-
gicæ Reipub. statu & bello, quod ge-
ritur, quasi triginta sex mille chartas
& schedia partim typis edita, partim
manuscripta collegisse, ex quibus hi-
storiæ suæ corpus exstrueret. Quan-
tus jam in his omnibus non solum
evolvendis, & foliatim perscrutandis,
sed & apte ac ordine suo loco dige-
rendis collocandisque labos ipsi fuerit
exantlatus, quot molestiæ devoratae,
quot vigilatae noctes, quantum olei
opera-

eræque impensum, facile erit concere iis, qui peponem cordis loco non abebunt. Quotumquemque Auditores, reperiri posse arbitramini, quoniam tanta Actorum Auctorumque nole obruius aut oneri prorsus succumbat, aut id vel propter gravitatem abjecere, vel propter virium imbecillitatem deponere tandem cogatur? P. Merula tamen non depositus, non abjecit: sed qua potuit fide & diligentia, si non totam historiam, at magnam ejus partem ante quatuor annos absolvit, & Ordinum censuræ submisit, reliquum quoque opus ad optatos terminos perducturus, nisi telam feliciter inchoatam Parcarum iniquitas præcidisset. Mirabitur forte an aliquis, quod tot subsidiis instruētus non universam historiam jam pridem confecerit. Sed admirationem depositurum spero, si in mentem sibi revocaverit, quod à Cicerone prudenter & vere dictum est, Historiam institui

40 I. KIRCHM. ORAT.

stitui nisi præparato otio non posse
nec exiguo tempore absolvri. Imo ver
magis mirabitur, potuisse P. Meru
lam id quod fecit præstare, si cogita
verit ipsum, præterquam quod publi
cæ suæ Functionis partes quotidie ex
pleret, etiam alia multa, ut Varr
ait, musinatum esse, quæ vitam ip
nunquam in otio transactam, clar
loquuntur. Non dicam de Gelric
Historia, non de Συζερισμῷ eorum
qui proximis centum annis in orb
Christiano contigerunt, non de aliis
ipsius scriptis: que omnia adfecta ad hū
in scriniis ejus latent. Mitto Angel
Merulx Tragicam Historiam, quai
ipse ex Actis fideliter repræsentavit
fileo Kuynzeling vel De Venatione
Statum quoque cum Religionis tui
Politicae gubernationis, à nato Chri
sto usque ad annum millesimum ē
ducentesimum, præterfluere sino: que
rum illa pridem publicata in omnium
manibus versantur, hæc vero ja
su

Sub prælo sunt & Musis benevolentibus lucem propediem videbunt. Vnum illud Cosmographicum opus, quod ante biennium in lucem edidit, non possum sine religione præterire. In quo opere, cum generatim ea, quæ ad Mundum & Cœlestem Terrestremque sphæram pertinent: tum vero speciatim ipsam Europam & tres ejus nobilissimas Provincias, illos totius orbis extra omnem controversiam ocellos, in quibus vestigia Latini sermonis, quamvis corrupti, adhuc superant, Hispaniam, dico, Galliam & Italiam tanta diligentia & studio tamque eleganti ordine persequutus est, ut affirmare ausim Strabonem, Pomponium Melam, Stephanum, Ptolemæum & reliquos majorum gentium Grographos, si paulisper in ritam redirent, confessim P. Merulæ herbam porrecturos, & se ab ipso victos ultro ac libenter fassuros esse. Optandum quidem erat, ut reliquas

C

Geo-

Geographia& partes eadem in methodo &
industria nobis concinnasset, & forte
id ipsum quoque præstisset, nisi par-
tim Syrtes & scopuli, quos in vasto
illo & immenso scriptorum pelago ni-
mis quam multos passim latere non
ignorabat: partim aliae occupationes
ipsum ab instituto retraxissent. At
quia spes illa jam omnino decollavit,
præsentia boni consulamus, nec mi-
remur, quod negotiorum multitudine
impeditus, aut fati iniquitate inter-
ceptus, iis, quæ inchoaverat, extre-
mam manum imponere non potuit.
M. Tullium patrem illum Romana&
eloquentia negare solitum accepimus,
si ætas sibi duplicetur, habiturum se
tempus, quo Lyricorum Poëtarum
versus legat; quos tamen verborum
fuisse parcissimos, ex iis, quæ adhuc
reliqua sunt, fragmentis liquido ap-
paret. Quid putatis, Auditores,
ipsum dicturum fuisse de tot priscis,
recentibus, mediæque ætatis aucto-
ribus,

ibus, quos P. Merula in condenda
iœc opere perscrutari & penitus excu-
ere necesse habuit?

Sed dies, opinor, me deficiat, si
omnia, quæ quidem de insigni ejus
doctrina & scriptis ad publicam uti-
litatem comparatis afferri poterant,
hic pensiculatius vellem persequi. Su-
perest, ut quoque de inculpatis ejus
Moribus & reliqua vita ad virtutis
normam transacta nonnihil dicamus.
Memini ab antiquis prudenter di-
ctum, Magna ingenia plerumque ma-
gnis vitiis solere esse obnoxia. Id vero
in P. Merula adeo contra se habet,
ut dicere audeam, nihil veritus ne
cuiquam propterea ludibrium de-
beam, omnes virtutes, quæ quidem
in hominem literatum cadere possunt,
in ipsius animo sibi domicilium col-
lasse. Hic rursus mihi ingens dicendi
campus aperitur, sed nolo orationis
meæ vela pandere, nec aperio mari
invehi, ne dum hominem peregrinum

C 2

&

& nunquam mihi antehac visum
saltem fama & scriptis cognitum ce-
lebro, falsas ipsi laudes à me assing
forte quis suspicetur. Pauca tantum
ex omni numero feligam, & quiden-
ea, quibus P. Merulam fuisse præ-
ditum omnes uno ore fatebuntur, qu-
vel scripta ejus primoribus digiti-
attigerint, vel amicam sermonum ser-
ram semel atque iterum cum ipso re-
ciprocarent.

Ac primum quidem quanta fuerū
ejus modestia, quæ omnium virtutum
fulcrum & vinculum merito censetur,
abunde testantur præclara ejus mo-
numenta, in quibus illa ita elucet,
ut si sententiam de iis mean dicere
jubear, adserere non dubitem, ab
ipsa Modestia nihil potuisse scribi mo-
destius. Non ille si quid ab aliis recte
dictum aut ingeniose excogitatum, in
sua statim ascribebat & id à se multo
ante inventum observatumque super-
be clamitabat: non si quid alii rei
lite-

iterarie opis attulissent, aut furtim
carpebat, aut palmam delicato fasilio
aspernabatur. Nam illorum homi-
num mores, qui nihil, nisi quod ipsi
fecerint, rectum censem, & quoties
quenquam vel humanitus errare vel
tantum aliam amplecti sententiam
viderint, confessim ad maledicta
confugiunt, & in viros etiam docti-
simos velut è plaustro convitia jaciunt,
rati, quantum alienæ famæ detraxe-
rint, tantum sibi nominis accessurum,
horum, inquam, mores ita solebat
odisse, ut nemo homo ipsas portas Or-
ci. Per quos profecerat ingenuæ pro-
fitebatur; atiorum scrinia non com-
pilabat, nobilem illam Laurentium
legem, qua fancitum erat, Ne Po-
mum ex alieno legatur in armum,
tam religiose servabat, ut nemo ha-
ctenus inventus sit, qui lege Atinia-
rem furtivam vindicarit. A quibus
se ingenio vinci, aut doctrina superari
intelligebat, iis ultro palmam conce-

46 I. KIRCHM. ORAT.

debat, eos amabat, eos admirabatur.
Pares facile ferebat, inferiores etiam
sibi æquabat, Tyronum industria non
invidebat, neque laudis aditu eos pro-
hibere conabatur, sed & ipse se gloriae
seniorum succrevisse meminerat, & ad
suam gloriam consurgentibus alios latus
aspiciebat.

Jam vero quam sobrie & continen-
ter vixerit, norunt omnes quibus aliqua
tantum notitia cum ipso intercessit.
Quod enim tempus alii intempestivis
conviviis, alii pilæ, alii tesseris, aliis
aliis recreationibus dare solent, id ille
universum in literarum studio consu-
mebat. Nemo ipsum non dicam vino
prolутum, sed ne quidem hilariore
Bacchi aura asflatum unquam vidit.
Adolescentiam non nisi caste ab ipso
traductam testantur cum reliqua
ipsius virtutes, quas mutuo complexu
inter se colligatas & arctissimo cognationis
nexu revinctas esse inter omnes
Philosophos constat: tum vero præ-
clu-

clara ejus doctrina, quam nunquam
sibi comparasset, si primam illam
etatem voluptatum vinculis constricti-
gendarum vinciendamque præbuisset.
Qui enim in impuræ libidinis cæno
volutantur, tantum abest, ut ad so-
lidæ eruditionis culmen ascendere, ut
vix ex inficiæ tenebris pedem movere
possint. Postquam vero ad tricenna-
lem illam annorum lineam pervene-
rat, quam gravissimus auctor Hesio-
dus ad conjugii cursum aperit & de-
mittit, cælibatum, in quo hactenus
egerat, aversatus, vitæ genus coer-
cendis vagis cupiditatibus divinitus
repertum suscepit. Erat tum in ma-
gna apud Batavos auctoritate Barthe-
lomæus Buys Gryphius, vir doctus &
multarum linguarum cognitione lon-
goque rerum usu prædius. Nam &
apud Alphonsum II. Ferrariae Ducem
prudentissimum diu vixerat, & ple-
risque Germaniæ aulis diligenter per-
lustratis, magnam sibi famam solertiae

C 4 com-

48 I. KIRCHM. ORAT.

compararat. Huc accedebat, quod etiam laudatissimæ memoriae Johanni Alberto Duci Megapolitano, quo dætiorem & literatorum amantiores principem Germania ium temporis non habebat, à Secretis & Latinis Epistolis fuerat, ac industria suæ in legationibus ad exteræ nationes obsecundis tam illustria documenta præbuerat, ut sapientissimo Princi in primis amoribus haberetur. Unde etiam factum, ut dum plures annos in aula ista versatur, aliquot ibi liberos genuerit, ex quibus V. Cl. Jøhannes Albertus Gryphius, paterni ingenii & virtutis verus heres, cum ob excellentem eruditionem ab hac nostra Academia, in qua literis aliquot annos operam dederat, Juris consulti titulo publice ornatus esset, hanc urbem fortunarum suarum sedem ac domicilium elegit, ac in Senatorium ordinem ascitus, Reip. huic florentissimæ non solum primo loco à

Se-

secretis est, sed quoque eam juxta
cum aliis ea, qua decet, fide admi-
nistrat. Ceterum de Eilio, quem his
præsentem conspicio, verbum amplius
non addam, ne in os ipsum laudare,
aut palpo percutere videar. ad Patrem
revertor, qui post excessum optimi
& immortalitatem dignissimi Principis
Johannis Alberti, cum patriæ amore
ductus in Belgium, quod tunc Paetio-
ne Gandavensi à bellicis tumultibus
paulisper respiraturum videbatur,
rediisset, non multo post in Collegium
Ordinum Hollandiae cooptatus est,
tantaque fide & integritate labantis
Reipub. commoda quesivit, ut totius
Nobilitatis Belgicæ ac omnium patriæ
studiosorum oculos in se converterit,
& mortuus magnum sui desiderium
reliquerit. Hujus Barth. Gryphii si-
liam natu majorem Juditham, o-
mnibus virtutibus, quæ in sexum il-
lum cadunt, decoratam, matrimonio
sibi P. Merula junxit, cumque ea de-

50 I. KIRCHM. ORAT.

cem & octo annis sine jurgio, sine
offensa ita vixit, ut se illi integrum
semper servarit, & quanquam nu-
merosa prole augeretur, sordidas ta-
men ditescendi artes nunquam exer-
cuerit, sed rei domesticæ curam tan-
quam se indignam, dilectissimæ con-
jugi resignarit.

Non enim à voluptatibus solum
alieno prorsus animo suit, sed & ab
omni quæstu. Potuisset sane P. Me-
rula honeste magnos pecuniæ acervos
congerere, si in forensi stadio diutius
versari, clientibus vocem & operam
suam commodare, circumfusæ mul-
titudinis comitatu assidue premi, &
prima luce ad occasum usque solem
in curia hærere, multorum odia ex-
periri, & sæpe aliquid invito animo
facere voluisse. Sed quia fieri non
posse videbat, ut his rebus occupatus
& obsessus animus honestis artibus,
quarum latissimi sunt termini, invi-
gilet, maluit amplias illas divitias
ſper-

ſpernere, & puro animo ac nullo ſcelere contaminato Muſis operari, quaque ipſæ largitur & eſſent opes boni consulere. Neque enim harum cul- turam omnino ſterilem eſſe ſciebat, ſub talibus præſertim Muſagetis, qui inter media arma, inter lituos & tu- bas non ſolum ſuavibus illis Muſarum tibiis ac firmitatibus delectantur, ſed & li- terarum cultores ad urgenda hæc stu- dia, has pacis artes, magnis & egre- giis præmiis invitant.

Quid nunc de fuga dignatum,
ad quas ipſi, niſi foro ſe abdicasset,
aditus patebat, multa verba faciam?
Erat enim ea prudentia, ea dicendi
facultate instructus, ut etiam ſum-
mis dignus eſſet. Atqui non potuit
ejus pectus ullis honorum facibus ac-
cendi. Nam eiſi quidem ipſi facile
erat ē Virtutis fano, in quo aſſidue
verſatus fuerat, recta, non per pſeu-
dothyrum vel Dea Pecunia poſticum
in vicinam Honoris adem ſe penetra-

C 6 re:

re: consulto tamen abstinuit, & in
literaria tranquillitate vitam degere
quam ad summas illas dignitates,
quaे plerumque cum magnis periculis
& molestiis conjuncte esse solent,
aspirare praeoptavit. Nimirum ut iis,
qui e Clitorio fonte biberunt, vini
tædium oboritur: ita quoque qui sc-
mel quietæ hujus vita dulcedinem
gustarunt, nunquam possunt adduci,
ut ad Remp animum adjiciant, et si
summum in ea fastigium adipisci
queant.

Neque tamen illos honores, qui in
Musica hac palestra versantibus tri-
bui solent, superbe aspernatus est.
De Professorio munere non dicam,
quod olim inter honoris titulos fuisse
memoriae & monumenta veterum di-
ferte testantur: nunc autem ejus di-
gnitas pene interiit, postquam noxia
hæc opinio animos plerorumque in-
vasit, indignum esse homine ingenuo
& liberaliter educato cultum ingenii

pro-

profiteri & honestis artibus docendis
inguam elocare. quod tamen ar-
duum esse, & laude dignos, qui fa-
ciant, norunt omnes, qui non ele-
phantini corio sunt circumiecti. His-
toriographi quoque titulum, quo ab
illusterrimis Ordinibus affectus fuit,
hic prætereo: est enim supra ejus
facta à me mentio. At Biblioteca
præfecturam à Curatoribus Acade-
mia ipsi delegatam, non possum hic
silentio involvere. quem ego hono-
rem inter alios, quos gesit, non
postremum duco. Nam si ad omnes,
quotquot hodie sunt in orbe Christia-
no, nobiliores Bibliotecas oculos cir-
cumferimus, earum custodiam viris
præstantissimis & primorum in literis
ordinum commissam, reperiemus. Cæ-
sareae Biblioteca custos ac præses
jam multos annos fuit vetus ille &
verus Musarum sacerdos Hugo Blo-
tius Belga, in cuius fronte & fer-
mone humanitatem, in pectore can-
do-

dorem & fidem habitare, fatebuntur
mecum omnes, qui hominem doctissi-
mum semel tantum compellarunt.
Vaticanae cura non nisi eruditissimis
Cardinalibus demandari solet, &
pronuper illi præfuit magnus ille An-
nalium scriptor Cæsar Baronius,
quem non ita pridem vita functum
esse fama nobis nunciavit. Galliarum
rex opulentissimæ Bibliothecæ suæ cu-
stodiam Isaaco Casaubono credidit,
quo doctiorem Sol neminem intuetur,
non modo in Gallia, feracissima illa
studiorum parente, sed ne vix in
universa Europa, & quidem judicio
omnium, quos non ignorantia præ-
pedit aut livor. Palatinæ præfectus
erat, dum viveret, amor ille & cor
Musarum P. Melissus: post cuius ob-
itum serenissimus Elector munus istud
imposuit CL. Jano Grutero, homini
ut doctissimo, sic ad antiquos scri-
ptores in lucem eruendos instauran-
dosque, bono publico, tanquam de
cælo

cælo delapso. His Augustanam quoque bibliothecam merito accensemus, cui jam præest David Hœschelius felicissimus ille juventutis informator, & ruentis Graciae fortissimus tibicen ac destina, quem inter præcipua urbis suæ decora merito augustissima illa Respub. numerat, & repente illud natus dicitur illustris Marcus Velsorus Aug. Vindel. Duumvir jure magnificat. Non exiguum igitur cumulum amplissimi Academiae Leidensis Curatoros ad reliquos P. Merula honores adjecisse existimandi sunt, dum mortuo & e viuis sublato Jano Douza principe juventutis Belgicae ipsum potissimum locupletissimæ & libris omnium generum refertissimæ bibliothecæ suæ præficiendum judicarunt. Quam provinciam tanta quoque diligentia, tanta sagacitate administravit, ut omnium prope Collegiorum bibliothecis perlustratis, omnibus Librariorum loculamentis & armariis studiose ex-
cussis

56 IOH. KIRCHM. ORAT.

cussis, quoscunque ibi melioris notæ libros aut manuscriptos aut typis excusos reperiret, eos magnis sumptibus coëmeret, ac in Bibliothecæ sibi creditæ forulos ad publicam omnium utilitatem transferret. Atque hoc studium si alii quoque in libris undique conquirendis continuaverint, brevi futurum est, ut Leidenfis illa Bibliotheca, que non ita dulium instaurari cœpta, cum antiquissimis quibusque, si non codicum manuscriptorum copia, ac typis editorum multitudine & præstantia comparari ac contendi possit.

Multa mihi hoc loco, Auditores, prorsus omittenda sunt, pleraque carpitum tantum & breviter attingenda. Nam si humanitatem ejus, si patientiam, si animi constantiam, si integritatem, candorem, pietatem, & alias virtutes enumerare & persequi velimus, nullum fere finem nostra inveniet oratio. Quis unquam ejus amicitiam per literas expetiit, quem ille

non

on statim albo suorum inscripserit?
uis ipsum compellavit, quem non co-
niter & humanissime exceperit? A-
nicitiæ cum illo instruendæ non era^t
pus proxenetam aut pararium ali-
quem intercedere; omnibus qui Vir-
uti & Doctrinæ litabant, fores ejus
erant apertæ, nulli clausæ. A quibus
se diligi intelligebat, iis amorem & quo
pondere, saepe etiam graviore repen-
debat. Iracundia aut odio adeo nullus
erat in ejus pectore locus, ut nemo
ipsum unquam commotum viderit,
nemo asperius aliquod verbum ex ore
ipsius audierit. Non vultus ejus, non
frons, non color, non sermo, non ma-
nus, non gressus unquam perturbati
animi signum dederunt. Obrectato-
rum sermonibus non magis quam an-
seris strepitu aut canum latratu mo-
vebatur. Ut culicem aut muscam mo-
leste circumstrepentem levi manu &
citra iracundiam abigimus: sic ipse
perverse judicantium calumnias sine
ulla.

58 I. KIRCHM. ORAT.

ulla tristitia eludebat. Rectum omnino cursum in hoc undoso vitæ man-
tenebat : si fortuna blandiretur, non
abripietur licentia ventis ; nec op-
primeatur impatientia fluctibus, si
forte non omnia ex animi sententia
succederent. Cum quibus conversa-
batur, iis remoto omni simulationum
velo mentem suam aperiebat, neque
aliud clausum in pectore, aliud prom-
ptum habebat in lingua, more illorum
bominum, qui vultu quidem & ser-
mone probitatem præferunt, sed corde
dolum ac fraudes machinantur : quod
qui faceret, eos ipse angue & cane-
pejus aversabatur. Quid multa? ni-
hil omnino ad ostentationem faciebat,
sed in pura mente, incontaminata
conscientia, usum fructumque recte fa-
ctorum sibi consistere reputans, hoc
unum agebat, huc omnes suas actio-
nes dirigebat, ut, quod de Amphiarao
ait Æschylus, revera bonus esset, non
tantum bonus videretur.

Pos-

IN FUN. P. MERULÆ. 59

Possem alias quoque P. Merula virtutes, quas ipse cum multijuga eruditione sociavit, hoc loco commemorare: sed ne vestra in audiendo patientia abuti videar, finem dicendi faciam, ubi de ejus pio, &, quod vere dixerim, sancto ex hac vita discessu, quæque hunc antegressa sunt, pauca hic adtexuero: ex quibus ejus constantia & firmitudo mentis in profligando mortis terrore meridiana luce clarius elucebit. Plures jam anni sunt, cum P. Merula Hygeiam inimicam primum experiri & gravissimo Lienis affectu laborare cœpit. Qui morbus cum crebro ipsum interpellaret & vires quas interdum ponerebat, & velut dissimulabat, semper resumeret, tandem superiori hiemi adeo ipsum dejecit, ut à fati limine paucos tantum pedes absuerit. Ex eo tamen emersus, ne vires adhuc infirmas intensioribus studiis rursus debilitaret, affinem suum V. CL. D. Johannem Albertum Gryphium J.C. & Reipub. hujus Senatorem, quem unice amabat, cuique id jam dudum roceperat, incoram salutare & simul has inferioris Saxoniae urbes perlustrare constituit, si fortean hac vœtatione valetudinem suam magis firmare & corroborare posset. Sed ô vanas hominum cogitationes! ô spem fallacem! ô infaustis avibus susceptam pro-

60 I. KIRCHM. ORAT.

profectionem! Vires recollecturum se spērabat P. Merula: at eae longiore hoc itinere adeo sunt prostratae, adeo fractae, ut vix urbem hanc ingressus statim medicum accerscere, & ejus opera, in morbo; quem recrudescere senserat, depellendo, uti coactus fuerit. Interim tamen nihil malis suspicans, cum laffitudo in itinere contracta paululum resedisset, non indelectatus consuetudine eorum à quibus quotidie fere salutabatur, à quibus suam amicitiam ambari, à quibus se coli & amari videbat, si quando adventoria à quoquam exciperetur, illi comiter hilariterque intererat, frontem exporrigerbat, ac animum quidem suavissimis sermonibus largiter, corpus autem cibo ac potu parce & continenter passabat. Nam ut fines à medico prescriptos migraret, & ejus abstinentia, qua pene in naturam verterat, non sinebat, & nemo nostrum erat adeo ab omni humanitate adversus, cui id ab ipso postulare in mensem veniret. Cum hic alterum fere mensem substitisset, & jam redditum ad suos meditaretur, non facere ullo modo potuit, ut prius hinc discederet, quam quosdam ex iis, quibus cum privatos sāpe sermones de literis habuerat, etiam è publico loco docentes audivisset. Intellecto igitur, collegam nostrum V. C. Ignatium Danielem, f. C.
quem

quem professionis & studiorum similitudo
irctissime ipsi devinxerat, 111. Idus Julii
id lectionum suarum telam paulisper in-
terruptam redditurum esse, ipse quoque eo-
dem die, ejus audiendi desiderio incensus in
Auditorium venit, & illi nobilem & pas-
sim ab omnibus vexatam questionem De
septuaginta Danielis hebdomadibus au-
spicanti tam attentas aures accommoda-
vit, ut juveni alicui in ipsa velut studio-
rum incude posito & formantis adhuc ma-
num admittenti similior esse videretur,
quam viro ad summum eruditionis culmen
erecto & inter Reip. literaria & Senatores
haud postremo.

Hic dies, Auditores, ultimus fuit, quo
P. Merula pedem limine extulit. Nam cum
ante tempus cœnæ cum affine suo ambula-
tiunculam aliquam conficeret, & pluviam,
qui supra caput stabat, metuens, aliquanto
celerius, ut fieri solet, dorsum sese reciperet,
tanta defatigatio, tantus languor ipsum
invasit, ut statim animus ipsi præ sagiret,
corpus suum hic Rostochii in pulvorem red-
actum iri. his enim fere verbis utebatur,
cum quomodo se haberet, & quibusdam
amicis, qui ea ipsa vespера ad illum invise-
rant, interrogaretur.

Dolor, quem ex amicissimi capit is amis-
sione percepit, non finit, ut multis hic com-
miserit.

62 I. KIRCHM. ORAT.

memorem, qua patientia morbi indies magis magisque ingravescens molestias tolerarit, qua constantia fati imminentis horrorem excusserit, & quam pie se ad vite exitum compararit. Senticbat quidem se paulatim proprius ad mortis limen accedere, sed nullam ejus metum, nullam formidinem præferebat. Debilitabatur ipsi vox, intercludebatur anima, spiritus & gre ducebatur, nullum tamen impatientia, nullum doloris signum edidit: sed totus ad servatorem Jesum conversus omnesque res humanas oblitus, cum quotidie praesenti mente signum, quo è statione evocaretur, expectasset, tandem septima, postquam agrotare cœperat, die candidam suam uniam ardentissimis precibus & altis suspiriis Deo creatori & auctori commendatam placide efflavit, ut non mori, sed in somnum labi videretur. Nam et si quidem in confinio mortis erat constitutus, mens tamen semper illi manebat integra, non aures hebescebat, non oculi obtenebrabantur. Nihil tamen secreto fere dici poterat, quod ille non auribus sublegeret; nemo in cubiculum intrabat, cui non capite adnuntians manum porrigeret; omnes qui lectulo adstabamus exacte noscebat. Quid? quod vix tribus horis ante mortem calamum quoque poposcit & ad incomparabilem vitrum,

um, D. Johannem ad Oldenbanneveldt.
enatus Hollandici Principem, cuius ille
rudentiam in gravissimis Reip. negotiis dex-
re cōpeliendis, humanitatem in Musarum
ultoribus defendendis, animi magnitudi-
nem in laboribus pro communi salute obeun-
lis semper in ore habebat, quoties de Belgia-
e statu sermo ipsi cum amicis intercederet,
ad hunc igitur, quem virus semper magni
fecit, jam morti proximus scripsit, & uxo-
rem ac sex liberos superstites illius patroci-
nio commendavit.

Hic fuit P. Merula exitus, felix quidem
& prosper illi, qui ex hoc undoso mundi hu-
jus aquore in optatum æternæ salutis &
tranquillitatis portum investitus est: per-
quam auteus acerbis & luctuosus cum di-
lectissima ejus uxori, liberis, & iis qui san-
guine ipsi aut affinitate sunt juncti: tum
vero universæ Reip. literariae, quam hujus
viri morte, ubi increbuerit, tantopere con-
sternatum iri certo scio, ut nemo futurus sit,
nisi è saxo sculptus, aut è robore dolatus,
qui non ipsius tam celeri tam inopinato oc-
casu toto animo commoveatur. O Lugdu-
num, ocelle Batavorum, Athene Belgarum,
flos urbium, quid tibi nunc animi fore pu-
tem, cum primum hic tristis nuncius ad au-
res tuas advolabit? Quos gemitus, que
suspiria tunc edes! quam crebra genarum
la-


64 I. K. OR. IN FUN. P. MER.

laceratione, quam frequenti pectoris & capitis percussione dolorem tuum testabere! non immerito. nam qui te praeclaris ingenii monumentis illustravit, naturæ lege functus est. ex cuius sacro pectora tua juventus biante ore bibere solebat reconditæ doctrina fontes, is interiuit. qui Bavatorum gloriam literarum beneficio ab oblivionis interitu vindicare exorsus est, is jam in alieno solo, procul patria, sepultus jacet. Obmutuit suada tua, exaruit lacteus ille eruditionis fons, corruit columen antiquitatis, lumen Belgicae extinctum est. Fuit, fuit ille omnis historiae promus ac conclus, sicut, nec est quod ejus ad te redditum posthac expectes.


Sed quid ego dolori indulgeo? Mortuus quidem est P. Merula, at ejus fama perpetuo vivet, ejus gloriam nulla unquam vetustas abolebit. Dum hunc terrarum globum, quem Merula stylo suo descripsit, Sol è cœlo radiis suis illustrabit, dum stabit hec immensa mundi compago, omnis litterarum ratio ipsius nomen pleno ore praedicabit.

DIXI.





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 46 [2]





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 46 [1]

Lia Dc c

Gestempeld 14-10-'93